

RESPONSIO AD ARGV-
 MENTA DOCT. MARCELLI SQVAR-
cialupi Plumbinensis, Itali.



VI, quæ huc vsq; dixi, rectè perce-
 pit, minimè expectabit responso-
 nē aut confutationē argumentorū,
 quibus Aristotelis sententiam se la-
 befacere credit. Nam euanida sunt,
 & in superioribus plenè refutata.
 Pleraq; iam olim mouit Seneca, sed
 eodem successu mouit. Quippe tot
 iam seculis nulli erudito persuaderi illis potuit, vt à veri-
 tate descenderet. Si firmitatis aliquid haberēt, neglecta ab
 illis, qui Aristotel. fugillare, vbicunq; potuerunt, vnice
 concupiuerunt, minimè fuissent. Ne tamen meliora esse
 putet, quàm sunt, age hanc quoq; molestiã deuoremus,
 & ad singula ordine respondeamus.

Principio ait quædam de Cometa, qui postremò appa-
 ruit, non assentiri Aristoteli ex fumis eos procreanti. Ho-
 rum rationes, quia non vidi, quid pro eis vel contra eos
 aliud dicam, quã quod iam dixi, equidē nō habeo. Quod
 Aristotelē cōfutatū putat à superioris anni cōstitutione,
 qui neq; vëtosus neq; siccus fuerit, ad id supra respōsum
 est, nō fieri necessariò & semper; quod naturaliter fit. Cau-
 sę naturales effectus suos plerūq; producunt nō semper,
 quia impediri possunt. Et alię alijs facilius & crebrius im-
 pediuntur, maximè quę in aere aliquid pariunt. Si modus
 iste argumētandi recipiatur, facilius responderint Astro-
 logi, cū eis obijcimus multos Cometas luxisse mūdo, sine
 Principis alicuius obitu, & ob id non rectè eos asserere,
 Principum interitum ab eis præsignificari. At magnus hic
 fuit, inquit, & memorabilis. Magnus fuit, non nego. Mi-
 nor tamē fuit multis alijs. Aristoteles quoq; præclare vi-
 dit, nō quemlibet Cometā mutare aeris statū, Quid enim
 siccam